

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6449

**Auteur(s)** : Adrien IV [pape]

**Bénéficiaire(s)** : Gruchet-le-Valasse, Notre-Dame du Vœu du Valasse (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1157, 18 février

**Lieu d'émission** : Latran

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Le pape Adrien [IV] confirme les donations faites par Mathilde l'Empresse, par Galeran [II] de Meulan et par le chambellan de Tancarville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Du Monstier Arthur, Somménil F., *Chronicon valassense*, truncatum a R. p. Arturo Du Monstier in sua Neustria pia, integrum necnon variis adnotationibus vindicatum ac illustratum de novo edidit F. Somménil, presbyter Rotomagensis, Rouen, Lebrument, 1868, p. 109-112.

b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 96, p. 184-185.

c. Avenel Alain, Cahagne Jean-Marie, Follain Éric, Grémois Alexis, Le Maho Jacques, *Le Valasse*, t. 1, L'abbaye cistercienne Notre-Dame du Vœu, XIIe-XVIIIe siècles. Le château, XIXe-XXe siècles, Rouen, Éditions des Falaises, 2009, 1 vol., « La fondation du Valasse racontée par les chartes », n° 5, p. 32-34 (traduction).

Texte établi d'après a

Adrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, abbati monasterii S. Marie de Voto ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, ecclesiasticam vitam professis IN. P.P.M. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis infringat : eapropter, dilecti in domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem loco noscitur institutus, secundum institutionem Cisterciensis Ordinis, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea, quascumque possessiones, quecumque bona, idem monasterium impresentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, procurante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : ex dono Matildis quondam Romanorum imperatricis, totam vallem in qua ipsum monasterium situm est ; in foresta Insulebone, omnia aisiamenta vestra ad hedificationes domorum et ad omnia vobis ibidem necessaria ; in foresta Phiscanni, octingentas acras terre. Ex dono Gualeranni comitis Mellentini, omnem haiam de Lintot cum omnibus pertinentiis suis ; duo clausa vinee apud Valles scilicet Plantas-Plastrarie. Ex dono camerarii de Tancarvilla,

mortuum boscum et herbagium foreste de Insulabona ad proprios usus, et easdem libertates in foresta Phiscanni ab eodem vobis indultas. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas presumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed illibata omnia et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate et dyocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Ihu-Xri aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Ihu-Xri ; quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. A. † Amen.

Ego Adrianus catholice Ecclesie episcopus.

† Ego Hymarus tuscul. episc.

† Ego Gregorius sabinens. episc.

† Ego Odo diaconus card. S. Georgii.

† Ego Guido diaconus card. S. Marie in Porticu.

† Ego J. diaconus card. S. Marie in Colmydyn.

† Ego Johannes diac. card. Sanctorum Sergii et Bachi.

† Ego Odo diaconus card. S. Nicholai in Carcere-Tulliano.

† Ego Boso diaconus card. Sanctorum L... et Barniani.

† Ego Albertus diaconus card. S. Adriani.

† Ego Hubald. pbr. card. S. Praxedis.

† Ego Bernard. pbr. card. S. Clementis.

† Ego Johannes pbr. card. Sanctorum Johannis et L.

† Ego Henr. presb. card. Sanctorum Nerei et Achillei.

† Ego Johannes pbr. card. Sanctorum D. et Martini.

Datum Later. per manum Rolandi S. Romane Ecclesie presbyteri card. et cancellarii. XII. kal. mart. Indictione V, Incarnationis Dominice anno M.C.L.VI. Pontificatus vero Domini Adriani pp. IIII anno III.